

dem fuerint Imperio Civili. (a) Nempe hæc est *νομια δόξα*, seu Rata illa Sententia doctrinæ Hobbianæ, cui stabiliendæ cætera ejus dogmata vel inserviunt vel ab ea tanquam satis stabilita deducuntur. Hinc infert quòd Summis Imperiis, seu Civitatibus omnibus quicquid libet licet facere in alias quaslibet Civitates; quæ omnes in statu belli sunt perpetuò, etsi pacta mutua fidei intercesserint. Hinc singulis hominibus contendit licere aliis quibuslibet vitam, omniaque eis necessaria eripere, si in statu (quem fingit) naturali considerentur, seu eidem Legislatori Civili se non subjecerint. Nos autem hæc contendimus non solùm Dominio Dei in Actus hominum externos (quod Religio Naturalis agnoscit) repugnare: Verum etiam indè sequi Deum ad externos actus jus suum cuique tribuendi, fidemque datam servandi nemini.

(a) cap. 6. sect. 3. *Leviath. Ang. cap. 26. pag. 143.*